



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 24. Concilium Moguntinum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

dentibus, anathema dixit Guiberto Antipapæ, Cardinalibus Hugoni Candido, Episcopo Albanensi & Joanni Portuensi, Petro Ecclesiæ Romanæ Cancellario, Liutmaro Archiepiscopo Bremensi, Utoni Episcopo Hildesheimensi, Ottoni Constantiensi, Burchardo Basileensi, Huzmano Spirensi, & tandem Weziloni Moguntino, Sigefrido Augustano, & Norberto Curienti, quorum Ordinationes esse nullas fuerat promulgatum. In Subscriptionne hujus Concilii Hermannus se Regem Romanorum dicit. Et Odo se solummodo scribit Monachum Cluniacensem atque Gregorii Papæ Legatum, nulla mentione de Episcopatu suo Ostiensi facta.

§. XXIV.

Concilium Moguntinum.

Tribus ab hoc Concilio elapsis septimanis Schismatici Moguntia convenerunt, acceptis mandatis Henrici Imperatoris, qui huic Concilio cum Legatis Antipapæ Clementis præsens ab omnibus exegit, ut eum tanquam legitimum Papam dato Scripto approbarent. Sed tamen aliqui manu & ore Guiberto faventes corde Gregorio adharebant. Huic Concilio præfuit Wezilo Archiepiscopus Moguntinus cum Egilberto Trevirensi, Seguino Coloniensi & Liut-

Kk 2

maro

Sæculum XI.
A.C.1085.to. 10. p. 409.
1085.
Sigeb. eod.

Sæculum XI. maro Bremensi. Aderant Episcopi septendecim, aliorumque etiam ex Gallia & Italia Legati. Sententia Depositionis Gregorii confirmata. Excommunicatio in eundem, omnesque, qui eum Papam haberent, lata. Quin etiam non nulli Episcopi depositi, iisque alii subrogati. Ita Hermannus Metis expulsus est, sed populus eum, quem Imperator suffecerat, recipere recusavit. Meginhardus proscripto Adalberone Episcopus *Ab. Ursp.* Herbipolensis ordinatus. In eodem Concilio Treuga Sacra confirmata.

Haud multo exinde elapso tempore Schismaticorum præcipui in Longobardia ex hac vita abierunt, scilicet Eberhardus Episcopus Parmensis, anno superiore in pugna captus, & in hac Sede Cadaloo Antipapæ successor, Gandulfus Episcopus Rhegiensis, & Theodaldus Archiepiscopus Mediolanensis, qui hanc Sedem annis decem, Gregorio Papæ semper infensus, tenuerat. Ei successit Anselmus III. vir Catholicus, & legitimis Pontificibus submissus.

§. XXV.

Gregorii VII. obitus.

vit. per Paul. c. 12. Interim Gregorius Papa Salerni commorans in morbum incidit, cognovitque imminere obitum suum. Rogatus ab Episcopis & Cardinalibus, qui apud eum